


CONTINUATIO.

THESIS I.



Emonstratâ superiore disputatione æterna Divinitate, dñi nřg, a Eternitate Filij Dei Domini nostri IESU Christi ex immotis Veteris Test. oraculis, ordo recquirit, ut progrediamur & eandem Christi Deitatem, quā exstigit antequam motes defixi essent, in roborando ipsum æthera desuper apud Patrem Prov. 8.v.26. ex Novo Testamento confirmemus.

II.

Hoc enim illud est contra quod tam hostiliter fremuit Satanas, quodque per gregales & satellites suos tam sollicitate evertere tentavit; quid juvat Catalogum Hæreticorum ut producamus? vivum exemplum præbent hodie impiæ Photini posteritatis (à primario inventore Photiniani dicti) socij, quos idem Satanas in perniciem Ecclesiæ produxit; hi enim illi sunt, qui Patris gloriam in unici Filij contumelia quærunt, ut August. ait, qui per verba Legis Legem impugnant, Amb. in Comm. ad Tit. 3. qui fidem sine fide prætendunt; Hillar. in lib. ad Const. m. p. 213. qui se amicos glorian-
tur, at animo hostili; qui societatem & conjunctionem crepant, capitali interim bello Ecclesiam devastantes; qui in speciosas sese transformant formas, & Angeli lucis speciem præse ferunt, lupinum animum contra vera Christi membra occultantes; qui spōsæ voces usurpant, at meretrices sunt, qui verbum Dei solam Scripturam flagitant, ad genuinum ejus sensum corrumpunt.

A. 2. p. 213. ad. III. Nam